

hanc statim purgata consequerentur, an vero eis ad finem mundi foret differenda, per multa secula, Patribus hinc inde stantibus, disceptatum fuit. De Regno millenario post hanc vitam, que inter Patres fuerit contentio, omnes norunt. Et paulo post: Qui de Assumptione Beate Virginis in celum dubitarunt, puto motos fuisse ex libro de transitu Virginis; ex epistola sub nomine Hieronymi, vel Sophronii; sermone 35. de Sanctis olim Augustino supposito; & aliis, que de hoc dubitanter loquantur. Sed cum postea liber ille de transitu Virginis a Gelasio fuit apocryphus declaratus; cum epistola illa Hieronymi, & sermo Augustini, tanquam spurii factus, fuerunt auctoritate spoliati, quotquot deinceps scripserant, dubium deposuerunt.

At vetus, inquis, Ecclesia non Assumptionem, sed mortem colebat. Quod signum est, non modo aliquot Patres, sed omnem Ecclesiam de illa re dubitasse; tum cultus obiectum esse mutatum ab Ecclesia juniore.

Ad hoc etiam auctoris ejusdem Eminentissimi responsio est: Quoad Ecclesiam Latinam, & Græcam, dato, quod antea, & dubia aliquot seculis hæserit, novis tamen luminibus a Deo illustrata omnem dubietatem deposuit. Non enim omnes veritates eodem tempore ab Ecclesia declarate sunt, sed eo tempore, quo Spiritui Sancto visum est. Et infra: Hoc dixi, non quia putem, Ecclesiam saltem totam de Assumptione Beate Virginis corpore, & anima in celum aliquando dubitasse. Licet enim Ursardus in Martyrologio, & Ado, noni seculi auctores, eam sub nomine Dormitionis proponant, & incertum locum relinquunt, in quem corpus ejus translatum sit, sicut & Menologium Basili anno 886. editum, eisque aliq̄ue Ecclesia usæ sint; totius tamen Ecclesie auctoritatem numquam obtinuerunt. Quin si Ecclesiam Romanam consulimus, invenimus eam a seculo sexto nomen Assumptionis Beate Virginis, non Dormitionis usurpasse, ut in Sacramentario Sancti Gregorii supra observavi; & etiam in antiquo Ordine Romano octavi seculi. Et si Græcos etiam antiquiores adeamus, in-